Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2181
Quelle:
Copyright:

tur inter LXVIII. illas, quae leguntur in *J. Hussi Monumentis*, *Norib.* 1558. f. Neque illa contentus *Hussus* Rectorem Univ. *Pragenae* sibi obnoxium excitavit, ut nomine Academiae Literas ad *Viennensem* daret, quae sequuntur.

4) *Copia rectoris vniuersitatis pragen.* Incipit a querelis: *Longis temporibus ex parte quorundam magistrorum vestrorum iniurias in nostris membris sustulimus nulla causa notabili exigente. Vnde miramur, cur in nostre vniuersitatis supposita manus extendunt — ipsa turpiter tractando, captiuando et in carcerem deducendo. Et quidam magister Jo. Sybart* &c. Hic repetuntur accusationis capita ex ejus ad Episcopum et Capitulum *Zagrab.* Literis, postulaturque, ut mendaci huic Viro justa correctio impendatur, additis minis: *Alias oporteret vniuersitatem nostram super biis auxilium Illustris principis domini ducis* (Alberti) *et domini capitanei terre austrie implorare. — Responsum petimus de premissis. Datum Anno 1413. die 8. mens. Julij nostri rectoratus sub sigillo. Magister Michael Malanycz* (de Malenicz, Malonicz) *sacre Theologie baccal. formatus, rector almè vniuersit. studij pragen.* Redhibuere *Viennenses* amplum Responsum:

5) *Copia vniuersitatis Wyennen.* Inscripta est non soli Rectori, sed *Rectori doctoribus et magistris — fratribus perdilectis in generali ipsorum congregatione cum reuerentia presentanda.* Repetitur totum Epistolae *Pragenae* argumentum, tum: *Verum quia ipsam epistolam vniuersitatis vestre nomine missam tenor eius non prefert, eo quod non vniuersitatis vestre sed solius rectoris titulo insignita cernatur, ambigimus an vestri vnanimi ex consensu sub hac forma fuerit decreta, sed forte alicuius vel aliquorum priuata effeccione extiterit destinata, vt de eius epistole grauitate et premissis cerciores sitis, ipsius epistole copiam inclusam presentibus duximus remittendam. Insuper grauius ferimus, quod idem dominus rector vestre vniuersitatis magistros et signanter magistrum Johannem Sybart* (en aliam machinam) *ad magistrum ciuium et consilium maioris ciuitatis pragen. tam grauiter accusando detulit, vt ad sui instanciam permoti magistro ciuium et consilio ciuitatis Wyenn. contra eosdem grauiter scripserint de pluribus accusantes. Quemadmodum eiusdem scripti tenor demonstrat, cuius copiam similiter uobis mittimus.* Sinceram dein amicitiam testati pergunt: *denique uestre vniuersitatis de scidio, pressuris et calamitatibus, et bonorum virorum rapinis, quas huc usque in persecutione Wyclessistarum pertulistis et hodie cum gaudio patimini propter deum, compassi sumus, et semper compatimur, cordium nostrorum dolentes ex intimis, quod eciam audire cogimur famam publicam ymo verius infamiam quorundam magistrorum et baccalaureorum sacre theologie eciam*